

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

VIII. De veritate sanguinis Christi qui de latere ejus post mortem fluxit.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

VIII. DE VERITATE SANGUINIS CHRISTI QUI DE LATERE EJUS
POST MORTEM FLUXIT.

VI. 24.

M IHI in gravi ægritudine laboranti manifestavit se, *infirmi-
tatis humanæ singulare præsidium*, Jesus Christus, ostenditque mihi vulnus lateris sui dicens: « Aspice et attende quam diris me doloribus affecerunt. » Et dixi ad eum: « Cur, o Domine, tam immania tormenta pati voluisti, cum in tua pura oratione pretiosæ guttæ decurrentes in terram ad reparationem totius orbis suffecissent? » Respondit mihi Dominus: « [Patri meo non suffecit]. Omnis enim paupertas, labor, passio, despectio portam cœli tangendo pulsaverunt, quousque sanguis Cordis mei effusus *per lanceam militis* terram irroravit. Tunc reserata est janua regni, *et patet ostium omnibus viatoribus desiderantibus introire.* » Et dixi ad Dominum: « O Domine, cum hic de tuo latere sanguis cum aqua flueret, mortuus extitisti, quomodo ergo de mortuorum cordibus sanguis effluit? » Respondit mihi Dominus: « Corpus quidem meum tunc humanitus morti succubuerat, cum sanguis mei Cordis de latere exanimis corporis effluebat; sanguis quippe ille virtute divina sic emanando fluxit, quemadmodum lac quod de virginalibus uberibus Matris suxi. Immutabilis divinitatis majestas omnibus membris corporis mei unita, sic in morte perstitit ut post resurrectionem resumpsit, anima autem mea post diuturnum humanitatis mœrorem in divinitatis splendoribus requievit. Spiritualis vero meæ humanitatis imago dulcis, in idea majestatis suaviter omnibus supernatans, æternaliter eminebat.

IX. DE SANCTIS QUI CUM CHRISTO RESURGENTE SURREXERUNT.

V. 9.

I N die qua Dominus noster Jesus Christus, triumphator mortis, gloriose ab inferis resurrexit, resumptoque corpore clausoque sepulchro mirabiliter egressus est, Judæi et Gentiles confusione operati sunt, et ignominia contabuerunt;